

Prooemium ad Lectorem.

Altera
similitu-
do,

oratio, sed quàm grauis, & utilis. Quemadmodum draconites admirabilis gemma, nec perpolitur, nec artem admittit, alioquin pulchra, ac perlucida: sic diuina scriptura, nec puerili verborum elegantia ornatur, nec humanae rethoricae artificium admittit: alioquin sua maiestate, & proprio nitore concinna, & praeclara. Ad finem vniuscuiusque capitis adyccio ex Hebræo, Chaldaeo, & Græco nonnullas obseruationes, quibus multi nodi difficiles expediuntur, & Hebraismi, atque schemata sanctæ scripturæ explanantur. Quo in negotio opus mihi fuit multos, ac varios scriptores non solum Latinos, sed Græcos & Hebræos diligenter euoluere, eandem incudem die nocteque tundere, atque in locutionibus diuinarum literarum inuestigandis, & perpendendis vehementer laborare. Habes pie Lector explicatam rationem meorum laborum, quos velim pro humanitate tua benigne suscipias. Vale.